



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Joannes Baptista. 24. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

24. Iunii. VITÆ SANCTORVM. 317  
ta tua? *Quantò amplius tibi ipsi nunc parcis & carnem sequeris, tantò durius postea lues, & majorem materiam comburendi servas. In quibus homo peccavit, in illis gravius punietur.* Thom. de Kemp. l. I. c. 24.

S. JOANNES BAPTISTA. 24. Iunii.

**I**OANNES melioris Solis melior Phosphorus ortus sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre jam sanctus, vix natus est, cum mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum eremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste, vestem cameli exuvias habuit. Inde anno Tiberii imperantis XV. viam CHRISTO munire exorsus, non tam verbis, quam vitam ad pœnitentiam scelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipsum Servator sanctius tactu suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum ostentare, ad hunc è scholâ suâ discipulos rectius erudiendos amittere, & jam indignum se putare ad cuius vel ultimum servitium descenderet. Sed nimirum se ipso major, sacris etiam vatibus omnibus prælatus, & secundus à CHRISTO ab ipso met CHRISTO est proclamatus. Et tamen tam charum cælo caput Herodes saltatriculæ filiæ pedibus donavit, & crudelibus oculis pascendis mensæ etiam inferri voluit. Itaque tunc, si unquam aliàs, lautè cœnavit gula. Quæ enim mensa tam nobile caput habuit? *Ex Hist. Evang.*

*Ioannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit; vos indui festinatis bysso & purpurâ, & splendidè epulari.* S. Bern. serm. de Nat. S. Joan.